



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia


Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Hæc sententia ut verior & probabilior eligitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

res præteritas, & futuras, ut præsentis in æternitate, quæ est mensura divinæ cognitionis, & in illa, ut jam diximus, simul existant infinitæ cogitationes & affectiones, quas Angeli & beati elicient per totam æternitatem, sequitur, Deum cognoscere infinita, non solum per scientiam simplicis intelligentiæ, sed etiam per scientiam visionis.



DISPUTATIO III.

De causalitate Divinæ Scientiæ respectu creaturarum.

Explicatis his quæ pertinent ad existentiam, quidditatem, unitatem, & perfectionem divinæ scientiæ, modumque quod creaturas in essentia divina tanquam in causa, & medio cognitio attingit, consequens est, ut ea quæ ad ejus efficaciam & causalitatem spectant, declaremus, & quatuor celebres difficultates, quæ hic agitari solent, breviter resolvamus. Prima est, an scientia Dei sit causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva? Secunda, cuinam scientiæ talis causalitas & efficientia competat? An ei quæ dicitur simplicis intelligentiæ, vel illi quæ visionis nuncupatur? Tertia, an ideo res sint futuræ, quia sciuntur à Deo, vel è contra ideo ab illo sciuntur, quia futuræ sunt? Quarta, an detur in Deo aliqua potentia executiva, virtualiter ab ejus intellectu, & voluntate distincta?

ARTICVLVS I.

An scientia in Deo sit causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva?

§. I.

Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa.

1. **S**uppono primò tanquam certum secundùm fidem, Deum per intellectum & voluntatem producere creaturas, ac proinde ejus scientiam omnium rerum causam existere, saltem directivam. Quam veritatem ex multis sacræ Scripturæ testimoniis probant Recentiores. Nobis sufficit illud Psalms 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Item Psalms 135. *Qui fecit caelos in intellectu.* Et ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Unde Dionysius cap. 7. de divin. nom. *Scientia divina omnium est artifex, & semper omnia componit, estque causa indissolubilis coherentia, & ordinis omnium, sineque priorum, cum sequentium principis semper connectit, & unam universi conspirationem, concentumque pulcherrimum efficit.*

2. **P**robatur secundò eadem suppositio, ratione Tractatu primo deducta, demonstrando existentiam & intellectualitatem Dei. Agens primum ordinare debet & dirigere res universi, ut ibidem demonstravimus: Sed hoc non potest, nisi per scientiam, & sapientiam, sapientis enim est ordinare: Ergo scientia in Deo est causa rerum, saltem directiva.

Præterea ut docet D. Thomas hic art. 8. scientia Dei respectu creaturarum, se habet sicut scientia artificis respectu artefactorum: At hæc est causa operis, saltem directiva: Ergo & scientia Dei.

3. **E**andem veritatem demonstrat idem S. Doctor Tom. 1.

1. **C**ontra Gentes cap. 27. novem rationibus, quarum hæc præcipua est. Perfectissimo agenti attribui debet perfectissimus modus operandi: Sed ille modus est operari per scientiam & voluntatem, agens enim naturale, non agit cum domino suorum actuum, sicut agens intellectuale; nec ejus virtus se extendit ad plures effectus specie diversos, sed determinatur ad unum; ex quo fit quòd naturalia uniformiter, & uno modo semper eveniant: Ergo Deus cum scientia & libertate ad extra operatur, subindeque ejus scientia, directivè saltem, ad productionem rerum concurret.

4. **C**onfirmatur: Agens naturale debet ab alio dirigi, ut finem attingat, quem non cognoscit: sicut sagitta, ut attingat scopum debet dirigi à sagittario: agens vero intellectuale, seipsum dirigit, & sibi præstituit determinatum finem: Ergo modus agendi agentis intellectualis, perfectior est modò agendi agentis naturalis.

Hoc præsupposito, inquirimus, an præter vim illam directivam, quam omnes attribuunt divinæ scientiæ, vera & propria causalitas, & efficientia respectu creaturarum, illi conveniat: quod ut plerùm innotescat.

5. **S**uppono secundò quòd ad formationem artificiatum, scientia, voluntas, & vis executiva concurrunt: scientia dirigendo, voluntas movendo, vis executiva exequendo: quod in artifice creato conspicitur, qui si domum verbi gratiæ est ædificaturus, priùs scientia præconstituit finem, quem voluntas appetit: mox intellectus consulit de mediis, & domus fabricandæ meditatur naturam; voluntas eligit media præconscripta, & movet intellectum ut imperet: ad imperium sequitur vis activa, applicans vim executivam ad opus, ac denique sequitur executio. Quæ omnia à creato artifice, per distinctos actus & potentias fiunt.

6. **Q**uærimus ergo, an scientia Dei practica, non solum directivam præter concursum, in productione creaturarum, regulando opus, ostendendo finem, & modum illas producendi; sed etiam efficienter in illas influat, vel applicando potentiam executivam ad opus, vel immediatè imperando earum productionem?

Partem negativam tenent plures Recentiores extra Scholam D. Thomæ, qui divinæ scientiæ attribuunt solam vim directivam in productione creaturarum; earum verò efficientiam, volunt immediatè procedere, vel à voluntate Dei, vel ab aliqua potentia executiva, virtualiter ab ejus intellectu, & voluntate distincta. Thomistæ verò & plures alij docent scientiam non solum dirigere Deum in productione creaturarum, sed etiam imperare, & exequi immediatè earum productionem, per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, quod ad eas immediatè dirigitur: unde nullam aliam potentiam executivam in Deo agnoscunt, quam ejus intellectum practicum, ut constabit ex dicendis articulo quarto.

§. II.

Hæc sententia ut verior & probabilior eligitur.

7. **D**ico igitur: Scientiam in Deo esse causam rerum, non solum directivam, sed etiam effectivam.

Probatur primò ex Scriptura, dicitur enim D d

Proverb. 3. *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit celos prudentia.* Et cap. 8. Divina Sapientia loquens in propria persona, dicit: *Quando preparabat celos aedem, quando appendebat fundamenta terre, cum eo eram cuncta componens.* Et D. Ioannes loquens de Verbo divino, quod est sapientia Patris, affirmat *Omnia per ipsum facta esse.* Sed hæc verba, *facere, fundare, stabilire, componere,* non solum directionem, sed etiam veram & realem efficientiam significant: Ergo ex Scriptura scientia Dei est causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva.

8. Probatur secundo ex SS. Patribus, dicit enim S. Augustinus 5. de Trinitate, relatus à D. Thoma, hic articulo 8. *Universas creaturas spirituales & corporeas, non quia sunt ideo novit Deus, sed ideo sunt quia novit.* Hæc autem causalis non potest esse vera, nisi detur aliqua scientia in Deo, quæ sit causa productiva rerum: Ergo scientia Dei est causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva. Unde idem S. Doctor 11. de Civitate cap. 10. *Occurrit, inquit, animo quiddam mirum, sed tamen verum; quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset.* Et Tertullianus in Apologetico: *Quod colimus Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum; verbo quò iussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ potuit; de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis sua.* Hoc etiam agnovere Gentiles Philosophi: nam Aristoteles 3. de anima textu 4. approbat opinionem Anaxagoræ, qui asserbat primum principium rerum omnium esse sapientiam & intellectum.

9. Probatur tertio ex D. Thoma hic art. 8. in corp. dicente: *Scientia Dei est causa rerum, sicut scientia artificis est causa artificiorum:* At scientia artificis est causa artificiorum, non solum directiva, sed etiam effectiva, ut idem S. Doctor docet locis infra referendis: Ergo & scientia Dei. Item ibidem dicit, quod *forma intellectus est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis:* Sed calor est principium effectivum calefactionis, ut constat: Ergo &c. Denique in resp. ad 3. ponit discrimen inter scientiam Dei, & nostram, quod nostra est à rebus accepta, & illis posterior: divina verò est causa rerum, & illis prior.

10. Probatur quarto ratione fundamentali. Deus producit creaturas ad extra per actum imperij, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem: Sed talis actus pertinet ad intellectum practicum: Ergo & productio creaturarum. Major demonstrabitur infra, & sufficienter constat ex variis locis Scripturæ, in quibus productio creaturarum attribuitur divino imperio: dicitur enim Genesis 1. *Fiat lux, & facta est lux:* & Psalmo 148. *Ipsè dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Minor autem probari solet 1. 2. quæst. 17. ubi ostenditur actum imperij procedere ab intellectu, quamvis supponat motionem, & applicationem voluntatis. Ratio fundamentalis est, quia imperium est intimatio, ordinatio, & præceptum: Sed hæc omnia pertinent ad intellectum, intimatio enim est quedam spiritualis locutio; locutio autem pertinet ad intellectum, qui est veluti os substantiæ spiritualis, iuxta illud Psalms 31. *Os iusti meditabitur sapientiam.* Item ordinare unum ad aliud, & unum cum alio conferre, pertinet ad intellectum pra-

A cticum, & ad virtutem prudentiæ: sicut unum ex alio inferre, spectat ad scientiam, & ad intellectum speculativevum. Denique, præcipere est actus superioris, & consequenter ad superiorem potentiam, qualis est intellectus, pertinere debet. Videatur S. Thomas 1. 2. quæst. 17. & 1. parte quæst. 23.

11. Probatur quinto: Sicut se habet ars & scientia artificis ad res artificiatas, sic se habet scientia Dei ad creaturas, ut sæpe docet S. Thomas: Atqui ars est causa rerum artefactarum, non solum directiva, sed etiam effectiva: Ergo & Dei scientia. Minor probatur ex eodem S. Doctore 1. 2. quæst. 57. art. 3. ubi dicit quod *ars proprie loquendo habitus operativus est.* Quam Doctrinam desumpsit ex Aristotele 9. Metaphys. & 6. Ethic. Item in 1. sent. dist. 38. quæst. 1. art. 1. in corp. sic habet: *Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divina scientiæ. Est ergo iste processus in productione artificiatæ. Primo scientia artificis ostendit finem. Secundo voluntas eius intendit finem illum. Tercio voluntas imperat actum, per quem educatur opus: circa quod opus scientia artificis, ponit formam conceptam.* Quibus verbis attribuit scientiæ artificis, non solum directionem, & ostensionem finis, sed etiam inductionem formæ artificialis in materiam, ac proinde veram & realem efficientiam.

12. Probatur sexto ratione quam fusiùs art. 4. prosequemur. Nisi daretur aliqua scientia practica, & factiva rerum, scientia Dei penderet à rebus creatis, & ab illis mensuraretur, quantum ad veritatem & certitudinem: Sed hoc repugnat perfectioni divinæ scientiæ: Ergo illa est practica & factiva rerum.

13. Probatur ultimo ratione desumpta ex D. Thoma quæst. 2. de veritate art. 13. Omnia quæ habent convenientiam adinvicem, ita comparantur, ut vel unum sit causa alterius, vel ambo ex una causa causentur: in omnia autem scientia reperitur convenientia plurium, putà affinitatio scientiæ ad scitum; unde oportet quod vel scientia sit causa sciti, vel scitum sit causa scientiæ, vel utrumque ab una causa causetur. Non potest autem dici quod res scitæ à Deo, sint causa scientiæ in eo, cum res sint temporales, & scientia Dei sit æterna: temporale autem non potest esse causa æterni. Similiter non potest dici quod utrumque ab una causa causetur, quia in Deo nihil potest esse causatum, cum ipse sit quicquid habet: unde relinquitur quod scientia eius sit causa rerum. Quare ibidem S. Doctor hoc statuit discrimen inter scientiam Dei Angelorum, & nostram: quod scientia Dei non est causata à rebus, sed est causa rerum; scientia nostra non est causa rerum, sed causata à rebus: scientia verò Angelorum, nec est causa rerum, neque causata à rebus. Itaque secundum doctrinam D. Thomæ triplex scientia distingui debet: una quæ pendet à scibili, & à speciebus quæ ab illo effluerunt; & hæc est nostra: altera quæ simul cum scibili à communi principio dependet; & illa est Angelorum: tertia tandè à qua scibile ipsum pender, & hæc est divina. In prima scibile est causa scientiæ, in tertia scientia est causa scibilis; ideoque in eo qui tali scientiæ pollet, idem est noscere rem, & dare illi esse: in secunda verò quæ media est, nec scibile est causa scientiæ, nec scientia est causa scibilis, sed utrumque est à Deo, ut à communi causa. In prima & secunda ita se rem habere, ferè omnes admittunt: in tertia quoque ita se habere jam probavimus, & art. 3. fusiùs ostendemus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

14. **O**bjicies primò cum P. Annato, in libro de scientia media: Non magis pertinet ad vim intellectivam suum objectum efficere, quam ad potentiam effectivam suum opus intelligere: Sed potentia effectiva non intelligit suum opus: Ergo nec intellectiva efficit suum objectum.

Respondeo distinguendo Majorem, & concedendo illam de vi intellectiva, quæ est merè speculativa; negando verò de vi intellectiva, quæ est eminenter speculativa & practica; huic enim convenit intelligere simul & efficere, ut patet in intellectione nostra, quæ simul habet rationem intellectionis, respectu verbi quod producit; illud enim intelligendo producit, & producendo intelligit: scientia autem libera in Deo non est purè speculativa, sed etiam practica, ut patebit ex dicendis articulo sequenti; unde non mirum si illa simul suum objectum intelligat & efficit, ac eminenti quodam modo simul habeat rationem potentia cognoscitivæ & executivæ. De quo inf. art. 4.

15. **O**bjicies secundò: Si scientia Dei esset causa rerum, non distingueretur virtualiter ab arte divina; respiceret enim creaturas ut factibiles, sicut ars in mente divina existens: Sed hoc videtur falsum, & contra communem sententiam, quæ ponit distinctionem, saltem virtualem, inter virtutes intellectuales in mente divina existentes: Ergo & illud.

Respondeo primò, non esse improbableem, scientiam Dei, quatenus formaliter practica est, & respicit creaturas ut factibiles, ne quidem virtualiter in Deo distingui ab arte divina: in nobis enim illæ virtutes intellectus distinguntur, quia scientia habetur in nobis de universalibus, ars de particularibus; prima procedit per causam, secunda verò per quandam experientiam & usum: unde cum istæ imperfectiones procul sint à Deo, & ejus scientia sit de particularibus, & ars in mente ejus existens procedat per veram causam ipsius operis; non improbabilius dici potest, scientiam practica, & artem, in Deo nequidem virtualiter distingui, sed solâ distinctione rationis, quæ petitur ex analogia ad creaturas, in quibus illæ virtutes intellectuales realiter distinguntur. Si quis tamen velit inter illas ponere distinctionem virtualem, sicut inter alia attributa: ad probationem in contrarium, facile poterit respondere, quòd quamvis scientia practica, & ars divina, respiciant creaturas ut factibiles, non tamen eodem modo: scientia enim illas respicit ut factibiles absolute, & quantum ad substantiam operis: ars verò divina, illas non respicit ut producibiles, quantum ad substantiam, sed quantum ad modum, & quatenus sunt factibiles modò quodam artificioso. Cætera argumenta quæ contra hanc conclusionem fieri solent, commodius proponuntur, & solvantur articulis sequentibus.

ARTICVLVS II.

An scientia quæ in Deo est causa effectiva rerum, sit ea quæ dicitur simplicis intelligentiæ, vel quæ visio appellatur?

§. I.

Premittenda ad resolutionem questionis.

16. **N**otandum primò, causalitatem divinæ scientiæ duobus modis posse considerari: nimirum
Tom. I.

Arum quasi in actu primo, ut videlicet habet divina scientia virtutem causativam rerum; & in actu secundo, quoad exercitium videlicet causalitatis, & actualem productionem creaturarum.

B Notandum secundò ex D. Thoma quæst. 2. de verit. art. 9. ad 2. & ex Ferrariensi 1. contra Gentes cap. 62. distinctionem scientiæ divinæ, in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, non se tenere ex parte Dei, sed tantum ex parte objecti, & connotati materialis; ac proinde magis esse quandam explicationem diversarum terminationum, seu terminorum qui à Deo cognoscuntur, quam divisionem unius attributi, & unius scientiæ in plures virtualiter inter se distinctas: in quantum enim divina scientia concipitur terminari ad creaturas solùm sub ratione possibilium, non attentà ex vi hujus terminationis illarum futuritione, & existentia, simplicis intelligentiæ nuncupatur: quatenus verò non fit in sola quidditate, & possibilitate rerum, sed attingit illarum futuritionem, vel existentiam, & præsentiam quam habent, aut in mensura propria, vel in mensura superiori aternitatis, sumit denominationem scientiæ visionis.

C Notandum tertio, scientiam Dei liberam duplicem habere formalitatem & respectum: unum ad voluntatem Dei, & ad decretum efficax, & absolutum in quo fundatur; alterum ad objecta quæ contemplatur & videt ut præsentia, vel in propria eorum mensura, vel in mensura superiori aternitatis: secundum primum respectum quem dicit ad voluntatem Dei, & ad decretum illius, dicitur scientia approbationis; ex alio verò quem dicit ad objectum quod intuetur ut præsens, vel in mensura propria, vel in mensura aternitatis, sumit denominationem scientiæ visionis, ut docet D. Thomas locis supra relatis. Denique secundum primum respectum, scientia divina est practica, & factiva sui objecti; & secundum alium, est speculativa, & intuitiva illius, ut magis infra exponemus.

§. II.

Quatuor conclusionibus difficultas proposita resolvitur.

Dico primò, scientiam simplicis intelligentiæ esse causam productivam rerum in actu primo. Ita docet D. Thomas in hac quæstione art. 16. ad 1. ubi dicit: *Scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum: quorundam quidem actu, scilicet eorum quæ secundum aliquod tempus fiunt; quorundam verò virtute, scilicet eorum quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt.* Et quæst. 15. art. 3. ad 2. *Dicendum, inquit, quòd eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum.* Unde cum ex eodem S. Doctore hic art. 9. scientia simplicis intelligentiæ ea sit, quæ versatur circa ea quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, manifestum relinquitur, illam esse practicam, & factivam rerum remotè, in potentia, & veluti in actu primo.

E Probatur insuper ratione. Scientia simplicis intelligentiæ continet in se ideas rerum possibilem, & se habet sicut ars in mente artificis, antecedens voluntatem producendi opus: Atqui ars existens in mente artificis, & antecedens voluntatem producendi opus, est productiva in actu primo operum artificialium, ut docent Aristoteles & D. Thomas locis supra relatis: Ergo & scientia simplicis intelligentiæ.

D d ij